aliis hoc narrantibus asseritur habuisse spiritum prophetiae
nam multa et diversa praedixerat, secundum relata
eorum, quae nostris sunt temporibus adimpleta. Hic
nunquam in oppido, de quo oriundus sum, dicto
Winterthur, sed in pago nuncupato Turgöw seminare
verbum Dei voluit, propter quoddam thelonium
pessimum, imo exactionem nefandissimam, quae
illic in pauperibus hucusque acta est et quod
burgenses ipsius oppidi illud thelonium non voluerunt
intuitu divinae pietatis et ob precum suarum
instanti
dissimu
assidua
licet lic
facienda
nomina
nomine Jacobus signaret.
Inter cetera facta miranda sua unum ponam
in quo patebit, ipsum tam peccatores convertisse
quam etiam spiritum prophetiae habuisse. In
quodam enim sermone suo meretrix publica com-
puncta surrexit et suam vitam foedam et turpem
abnegavit. Cum autem frater Bertholdus in
turba copiosa sedente coram eo de eminente
loco suo, in quo stabat, proclamaret, si ibi
vir aliquis esset, qui filiam suam peccatricem
per eum conversam et renatam in uxorem
traducere vellet, ob respectum amoris divini
hanc ipsam sibi daret et ipse dotaret.